



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1000. Usque Ad Annum 1063

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117956

§. 20. Alii Fanatici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66323)

esse homini, decimas dare. Interim fa- Sæculum XI.
A.C. 1004.
ma eum tanquam Virum Sanctum de-
prædicante, brevi ad se non modicam
vulgi partem traxit. At Geboinus, fa-
pientissimus senex, qui tunc Ecclesiam
Catalaunensem regebat, ad se accersi-
tum de omnibus interrogat, quæ ipsum
dixisse & fecisse compererat. Ille cœ-
pit venenum suæ nequitiae occultare, &
testimonia Sacræ Scripturæ afferre, quam
non didicerat. Tunc vero sagacissimus
Episcopus nebulonem mendacii & insa-
niæ convicit, populumque ex parte sedu-
ctum ab errore revocavit. Infelix Leu-
tardus intelligens, se in vulgi existima-
tione perditum, se ipsum puteo periturus
immerfit.

§. XX.

Alii Fanatici.

Sub idem tempus quo Leutardus insa- Glab. l. II.
c. 12.
niebat, alius quoque Fanaticus Ra-
vennae extitit, nomine Vilgardus, profes-
sione Grammaticus, more Italorum, qui
illa tempestate hoc studii genus omni-
bus ceteris præferebant. Is ergo quadam
nocte tres Poetas Virgilium, Horatium,
& Juvenalem ad se invisentes conspiceret
sibi videbatur, gratias agentes, quod Scri-
pta eorum magni faceret, eorumque fa-
mam apud posteros conservaret, polli-
citi, ipsum maximæ post fata gloriæ fore

D 3

parti-

Sæculum XI. participem. Tali honore turgidus com-
A. C. 1004. plures opiniones fidei adversantes spar-
 gere cœpit, & affirmare, omnia quæ
 Poetæ cecinissent, esse credenda. Tan-
 dem Hæresis convictus ab Archiepiscopo
 Ravennate damnatur. Plures alii illo
 tempore in Italia reperti, eodem errore
 infecti, quorum pars gladio, pars flammis
 periit. Sub idem tempus non nulli Hæ-
 retici in Sardinia Insula, fœcunda porten-
 torum matre, nati sunt, a quibus aliqua
 Christianorum pars in Hispania deprava-
 ta. Hos quoque Catholicorum pietas ex-
 terminavit. Huic itaque tempori, quo
 tot Hæreses pullulabant, multi congrue-
 re crediderunt illud S. Joannis Vaticini-
 um; Satanam expletis mille annis esse
 solvendum.

Apoc. 20. 7.

§. XXI.

*Giselerii obitus. Tagmundus Archiepi-
 scopus Magdeburgensis.*

Chron. Sax. 1004. Ditm. l. 5. p. 57. In Germania Henricus Rex illa negotia,
 quæ Otto Imperator juventute impar, &
 deinde præmatura morte occupatus non
 potuerat, perficere adlaborabat. Inter
 præcipua fuit, Episcopatum Mersebur-
 gensis ab Ottone suppressum restituere.
 Quapropter Henricus Rex Poldenæ
 Natali Domini celebrato, anno Regni sui
 secundo, Dorneburgum venit, unde Mag-
 deburgum misit Willegisum Archiepi-
 scopum